

Baptismus

sis comitatu die 10. Mensis Novembris hora 10 nocturni tem-
 poris cursu prognatus: sequenti die in sancto ejusdem civitatis
 Templo Petri, more piissimo, Redemptori suo Altipotenti
 per vitale ac salutare lavacrum consecratus, atq; Martini Præno-
 men fuit adeptus. Ex hoc perspectum habetis, Auditores erudi-
 torum optimi & optimorum eruditissimi, obscuros etiam Nata-
 les non esse altè despiciendos. Quamvis enim è tenuiore stirpe
 traxerit originem, haud obscure tamen prælusum fuit, cum sta-
 tus Ecclesiastici fere collapsi structorem, Doctrinæ Papisticæ
 Reformatorem Christianæ Pietatis tutorem, atq; Religionis am-
 plicatorem fore gravissimum: Sicut enim metallicorum est,
 metalla è terræ cavernis eruere, eruta scoris liberare, liberataq;
 non uno flammæ genere politiora, ac nitidiora reddere: Sic
 etiam B. noster Lutherus Orthodoxam è Scripturæ dictis elicuit
 sententiam, nostramq; Religionem multis tum temporis impli-
 catam vitii igneâ Verbi divini virtute depurgavit. De Hercule
 Fabularum Architecti suis ferunt in commentis, eum, cum ætas
 evasisset maturior, in varias distractum fuisse sententias, quam-
 nam vivendi viam ingressurus esset. Istud simul ac animo volu-
 tavit anxio, prodit in mediû Mulier, quam non pulcritudo arte
 quæsitâ, non monilia baccata, non cincinni calamistro inusti,
 non vestis deniq; discolor, sed nativâ formositas, morum probi-
 tas, fideiq; sanctimonia condecorabat. Hæc nomen Virtutis
 professa, ut se totum honestis, iisque splendidis actionibus appli-
 caret, Herculem rogavit, eiqve nominis immortalitatem è re-
 rum gestarum magnitudine promisit. Cui successit altera, suc-
 ciplena, otioq; torpescens mulier, ab amicis Voluptas, ab inimi-
 cis dicta Vitium ac Ignavia, quæ ut Herculem in suam abriperet
 sententiam, oculis lenocinium, pectore illecebras, verbis blandi-
 tias, toto corpore suavissimæ persuasionis machinam admovit,
 viamq; suam rosas ac violas stratum deprædicavit. Quid Hercu-
 les? Formâ, utriusq; egregiè contemplata, delitiis ignaviæ post-
 habitis, virtutum insistebat vestigiis, eaq; rerum difficultate nomi-
 nis sui quærebat amplitudinem. **Nostrum Lutherum, qui non**
Augiæ